

Petrus de Vinea

*Ep. II 12 (Qualiter, post
obtentam nuper de proditorum...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 12 (Qualiter, post
obtentam nuper de proditorum...)*

circa 1246

Ezelino, de Saracenis redeuntibus ad mandata

1. Qualiter, post obtentam nuper de proditorum nostrorum insania nefanda uictoriam, fortuna celebris nouiter nostris processibus, quos diuina semper clementia comitatur, arrisit, tuae fidelitatis auditibus presenti stilo letifico nuntiamus. 2. Licet enim ex diuersis causis et casibus, quibus nostro pectori continue materia cogitationis infunditur, proditorum ipsorum deprimenda nequitia, quasi causa precipua, specialiter hactenus cogitationibus nostris occurreret et statum nostrum in regno Syciliae necessario retineret, suffragabatur huic uerumptamen alia ratio non minus euidens, Sarracenorum uidelicet edomanda proteruitas, qui sicut a nobis fidei disparitate sunt impares, sic deuotionis integritate diuersi. 3. Temerarie dudum Syciliae montana conscenderant et ibidem, quantum poterant, licet parum potuerint, nostrae maiestatis imperio repugnarunt. 4. Sed, ut diuersa nobis quaelibet in directa dirigantur et aspera in uias planas, Sarracenos prefatos tamquam timore potentiae nostrae perterritos, nec fortunae Cesareae uolentes ulterius, quin potius non ualentes, resistere uel obsistere, nuperrime noueris descendisse solam benignitatis Augustae misericordiam implorantes. 5. Ex quo te ceterosque fideles nostros spes pulchra confoueat, ut cum nichil nobis post terga remaneat, quod causam in posterum dubitationis adducat et quaelibet sint impedimenta sublata, quae nostrum hucusque propositum retardabant, ad nostrorum rebellium reliquias finaliter conterendas, tamquam liberiores ad gratiam, gladium potenter exerere intendamus.